



Disputatio juridica inauguralis de pignoribus et hypothecis

<https://hdl.handle.net/1874/341868>

35

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
PIGNORIBUS
ET HYPOTHECIS.

QVAM
FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inlyta Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii, & Ecclesiae ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicī consensu, & Nobilissimae

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO LICENTIA

Summos in **UTROQUE JURE** honores & Privilegia
ritè ac legitimè consequendi.

Publico Eruditorum examini subjicit

JACOBUS DANIEL DE FAMARS, Mæno. Francofurtensis.

Ad diem 10. Martii, horâ locoque solitis.



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clo Ic Lxxxvii.

S E R E N I S S I M O
P R I N C I P I
G U I L I E L M O
H E N R I C O.
D.G. PRINCIPI AURIACO.

C O M I T I N A S S O V I A E.

Item

Catimeliboci, Viandæ, Dietziæ, Lingæ, Meursæ, Buræ, Leerdami,
MARCHIONI Veræ, Vlissingæque.

D O M I N O ac B A R O N I

Bredæ, Gravæ, Dicecseos Cukianæ, Diestæ, Grimbergæ, Heristalli,
Cranendoncki, Varnestoni, Arlæi, Nosrocí, S. Viti, Dasborchi,
Polani, Wilhelmostadii, Nirvatii, Iselsteini, S. Martinodici,
Montis-Gertrudis, Castellorenardi, superioris atque
inferioris Svaluæ.

B U R G G R A V I O H Ä R E D I T A R I O Antwerpia & Bisontii.

U t &
Gelriæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Westfrisia, Ultrajecti,
Transilvaniae

G U B E R N A T O R I H Ä R E D I T A R I O.

Fœderatorum Belgarum

I M P E R A T O R I S U M M O.

D O M I N O S U O C L E M E N T I S S I M O.

Hanc Disputationem Inauguralem Èa qua
par est animi devotione
D. D. D.
S E R E N I T A T I S E J U S

Devotissimus & Humillimus Servus
JACOBUS DANIEL de FAMARS.
Author. & Rest.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

D E

PIGNORIBUS
ET HYPOTHECIS.

THEISIS I.



Ignorum & hypothecarum usus quan-
sit frequens, quamque necessarius, ne-
mo est, qui nesciat: hæc causa est,
quare ex infinitis juris materiis nobilissi-
mam hanc, quæ est de *Pignoribus & Hypo-*
thecis, elegerim; Omnes quæ circa hanc
materiam occurrunt questiones & dubia
huic dissertationi inserere supervacaneum
esse putavimus. Scilicet omissis ambagi-
bus & variis aliorum sententiis nostram opinionem brevibus po-
sitionibus ita declarabimus, ut quæ ei opponentur argumenta
tum demum, ubi in ipsam disputationis arenam ventum erit,
solvere ac diluere pro virili parte conemur.

I I.

Pignus in genere consideratum comprehendit *hypothecam*, &
inter has voces tantum nominis sonus differt, l. 5. §. 1. ff. de *pign.*
& *hypoth.* In specie vero si *pignus* cogito, distinguitur ab *hypothe-*

A 2

4 DISPUTATIO JURIDICA

ea, nimirum quod *Pignus* rei traditione, *hypotheca* re creditorū non traditā pacto nudo vel etiam lege constituantur *l. 9. §. 2. ff.* de *pign. act.* hinc si res mobilis vel immobilis (immobilium quippe rerum traditionem fieri patet ex *l. 18. §. 1. de pign. act. l. 4. C. de pign. & hypoth.*) nudo pacto vel lege obligetur, nullā subsequita traditione, consequitur creditor jus hypothecē, si nudam obligationem rei traditio comitetur, jus pignoris.

III.

Pignus ab antiquo verbo *pago* seu *pango* derivant aliqui, quia pactionis lege datur; nobis placet sententia Pomponii Jureconsulti, quā a *pugno* natum esse contendit, quia ea, quæ pignori dantur, plerumque manu tradi solent, hinc si ad proprietatem, & originem verbi attendamus pignus tantum dicitur esse rei mobilis, quæ sola manu tradi potest.

IV.

Hypothecam satis constat vocem esse græcam. Origo verbi est *ποτήρια* quod est supponere. Apud Demosth. simplicius dicitur *τιθεσθαι* quod Latini imitati sunt, sepe enim rem pignori oppositam dicunt. *ποτήριον* suppositum significat, hinc Cesares in Codice constitutionum supponere pignori dixerunt, Justinianus simpliciter supponere, quod pignoris hypothecē loco constituitur *l. ult. Cod. que res pign. obl.*

V.

Pignus vel *hypotheca* quandoque significat rem pignori suppositam *t. t. ff. de distr. pign.* quandoque contractum ipsum, quo res pignori constituitur *l. 1. §. 1. ff. de pign. act.* modo jus in re pignoratā constitutum, quæ significatio hujus loci est, & definitur *Pignus* seu *hypotheca*, *jus in bonis debitoris creditorī legitime constitutum in securitatem crediti*. Finis itaque pignoris est, ut creditoribus sit cautum super suo credito, quibus non inutile est præter personam debitoris habere etiam res obligatas, *plus enim cautionis in re est, quam in personā.* *l. 25. ff. de Reg. Jur.*

VI.

Necessario itaque requiritur debitum, cui pignus accedat, accessionis enim vice fungitur *l. 43. ff. de solut. & lib.* Nec interest quale sit debitum, proprium an alienum, *dare enim quis pignus potest,*

I N A U G U R A L I S .

poteſt, ſive pro ſuā obligatione, ſive pro alienā l. 5. §. fin. ff. de pign.
& hypoth. naturale, an civile, ſive in contractu preſenti pignus
adjiciatur, ſive eum preceſdat, ſed & futurę obligationis nomine
res pignori dari poſſunt. l. 5. in princ. de pign.

V I I.

Quod ad personas pignus conſtituentes attinet, poſſunt rem
pignori dare omnes, qui libere res suas adminiſtrant & alienan-
di potestatem habent, quales ſunt veri domini, ſenſu valentes,
hi quoque, qui juſ in re dominio proximum habent, ut Em-
phyteuta, ſuperſiciarius l. 15. ff. de pign. & hypoth. bonę fidei
poſſessor: l. 18. ff. de pign. bona enim fides tantum poſſidenti pre-
ſtat quantum veritas, quoties lex impedimento non eſt. l. 136. ff. de
Reg. Fur.

V I I I.

Qui contractum inire poſſunt, iis pignus vel hypotheca con-
ſtituitur recte. Huc referendus eſt singularis caſus legis 24. ff. de
pign. qui eſt de magiſtratu provinciali seu praeſide, qui in fini-
bus Provinciæ, cui praeſt, pro re mutuo datā pignus accipere,
contrahere vero emptionem non poſteſt, ratio hujus rei in prom-
ptu eſt, venditiones enim extortę potius & vi magis, quam ju-
re contractę videntur, in pignore vero ceſſat hec prohibite ven-
ditionis cauſa.

I X.

Non tantum per ſemetipſum alicui conſtituitur pignus aut
quis conſtituit, ſed & per alios. Sic per filios familias patri ac-
quiritur pignus l. 28. ff. de pign. per ſervos dominis arg. l. 1. Cod.
per quas pers. nob. acq. mandanti domino vel ratum habenti per
procuratorem l. 21. ff. de pign. l. 2. C. per quas pers. &c.

X.

In bonis debitoris res eſſe oportet, ut recte pignorentur l. 8.
C. que res pignori &c. Exceptio eſt in pignore creditori tradito,
quod quamvis creditor dominium in re pignorata non habeat,
propter contrahentium tamen utilitatem placuit a creditore pi-
gnori obſtrigi poſſe l. 1. in pr. C. si pign. pignor. dat. idque tam
diu donec res primo creditori tradita in cauſa pignoris maneat,

l. 2.

6 DISPUTATIO JURIDICA

I. 2. C. si pign. pignor. dat. nemo enim plus juris ad alium transferre potest quam ipse haberet I. 54. ff. de Reg. Jur.

XI.

Quid si res aliena, non proprio nomine sed alterius, pignori data sit? Valet, si nimirum tutorio *I. 16. ff. de pign. aet.* procuratorio *I. 11. §. fin. I. 12. de pign. aet.* vel administratorio nomine oppignoratio sit facta *I. 11. ff. de pign.* Valet etiam oppignoratio rei alienæ, si id fiat voluntate domini, vel si ignorantie eo facta sit & ratum postea habuerit *I. 20. ff. de pign. & aet.* Item si per sententiam creditori res adjudicata sit *I. 16. §. 5. de pign.* res enim judicata pro veritate accipitur *I. 207. de Reg. Juris.* Ex post facto convalescit rei alienæ pignus, cum res, quæ nondum in bonis debitoris est, pignori data, postea in bonis ejus esse incipiat, quo casu pignus valet non ipso jure, sed ex æquo & bono, quia verum est debitorem illam oppignorasse & ejus jam esse dominum, præterea quia res in eum casum venit, à quo incipere potuit, quia denique iniquum foret creditorem à debitore decipi, & hunc à suo mendacio lucrum consequi. E contrario non convalescit pignus, si dominus rei pignoratae postea fiat debitor *I. 41. de pign. aet.* Requiritur præterea ad hypothecam recte constituendam ut res alienari possit *I. 9. Cod. quæ res pign.* quare in fundo dotali, re litigiosa, hypothecæ locus non est.

XII.

Rem comunem pro sua parte pignori obligare debitorem posse patet ex *lege 3. §. 1. in fine de pign.* In summa dicendum pignorari posse tam res mobiles, quam immobiles, corporales quam incorporales *I. 4. C. quæ res pign. obl.* modo in commercio sint, quæ enim extra commercium sunt, ut res religiosæ & sacræ, cætenuis tantum, quatenus alienantur, etiam pignorantur.

XIII.

Prohibentur pignorari arma militum arg. *I. 14. de re mil.* nemilites armis exuti à functionibus & exercitiis militaribus abstrahantur; spes præmiorum quæ athletis dantur *I. 5. Cod. que res pign.* ne athletarum alacritas minuatur.

XIV.

Nominum quidem ordinario & ex subtili juris ratione non sustine-

I N A U G U R A L I S.

7

sustinetur pignus, sed ex æquitate & propter contrahentium utilitatem; unde sequitur creditorem agere non posse directa hypothecaria adversus sui debitoris debitorem, sed utilem ei concessam esse l. 4. C. que res pign. obl.

X V.

Non inelegans quæstio orta est inter Jureconsultos circa servitudes, an pignori concedi quoque jure possint? Non est quod dubitemus servitudes tam personales quam reales oppignorari posse domino servientis fundi, non enim debet, cui plus licet, quod minus est, non liceere, l. 21. de R. f. cum igitur domino fundi servientis ejusmodi jura recte vendantur, quid obstat quo minus oppignorari possint. Sed an tertio pignorari possint, quæritur? Quod ad servitudinem constituendam attinet, distinguo inter servitudes reales & personales, hæ uti ususfructus, usus, pignori dari possunt. De realibus sciendum, directo vel ordinario jure eas pignori constitui non posse, sed ex contrahentium utilitate admittitur, tum, ut ab initio pignori constituantur l. 12. ff. de pign. tum ut jam constitutæ alteri pignoris loco concedantur, si nimirum utilitas quædam inde redundare possit. l. 11. §. 3. de pign. juncta lege 12. arg. quoque l. 8. §. 5. de precar. quia æquum est conventionem servari l. 4. de servit. Nec opus est distinctione, inter servitudes rusticas & urbanas, quasi hæ pignorari possent, non illæ: sed dicendum neutras ordinario jure obligari posse, verum ut ante dixi illarum pignorationem sustineri ex æquo & bono propter contrahentium utilitatem.

X V I.

Pignoris constitutio vel generalis est vel specialis. Generalis comprehendit omnia debitoris bona l. 17. l. 12. C. de dijstr. pign. non tantum præsentia sed & futura l. fin. C. que res pignor. &c. etiam actiones & jura l. 7. C. de heredit. vel act. vend. l. 49. de Verb. sign. appellatione mobilium vel immobilium nomina non continentur, quia tertiam bonorum speciem constituunt distinctionem à mobilibus & immobilibus l. 7. §. 4. de peculio. l. 15. §. 2. ff. derejud. Quid si sic quis oppignoraverit obligo omnia mea bona vel omnia mea mobilia & immobilia Rs. pignori etiam obligasse

3 DISPUTATIO JURIDICA

gasse actiones & nomina intelligitur, mentio enim mobilium & immobilium ex abundanti adjecta est l.9. ff. de supell. leg.

X V I I.

Generalis hypotheca non comprehendit illas res, quas verisimile est debitorem obligare non voluisse vel nunquam solitum fuisse, ut est suppellex, vestis, vel quod specialiter diligitur l.6.7. & 8. ff. de pign.

X V I I I.

Speciale pignus in rebus certis consistit l.1. §.1. l.15. §.1. de pign. nec interest res sit singularis, ut fundus, equus, domus, homo, vel certa universitas, ut grecus quorundam corporum, l.13. pr. ff. de pign. taberna l.34. ff. de pign.

X I X.

Non tantum res generaliter vel specialiter pignori data, obligata censetur, verum etiam ejusdem rei accessio l.21. ff. de pign. act. nam re principaliter obligata intelliguntur simul obligatae singulae ejus partes, hinc liquet partum ancillae oppignoratae in pari caussa esse quam mater est. l.1. C. de partu pign. sic quoque fructus & que ex re postea nata sunt, tacite pignori constituta intelliguntur, quia aliquando rei oppignoratae partes fuere, tunc nimirum, cum rei, unde nata sunt, cohærebant l.44. ff. de rei vind.

X X.

Quemadmodum pignus constituantur, videamus. Constituuntur vel publica vel privata auctoritate. Publica auctoritate constitutum pignus, necessarium; privata, voluntarium appellatur. De necessario vide Thes. 24. Voluntarium constituitur testamento, vel per conventionem; testamento, cum testator rem aliquam ab herede legat creditori pignori tradendam, vel cum testator simpliciter rem aliquam pignori absque traditione esse jubet l.29. ff. de pign. act. l.12. de alim. leg. Per conventionem, quod conventionale & expressum dicitur l.2. C. de pret. pign. constituitur pignus vel per traditionem in contractu pignoris vel per pactum legitimum, nulla interveniente traditione.

X X I.

Pignori hac ratione per contractum constituto, aliquando immo & saepissime adjici solent pacta, inter quae non infimum sibi vindicat

INAUGURALIS.

dicat locum *pactum antibreseos*, quo facultas utendi pignore, loco pecuniae creditae conceditur creditori *l. 11. §. 1. ff. de pignor.* *l. 17. C. de usur.* Estque vel expressum, cum expressis verbis inter debitorem & creditorem de eo convenit, vel tacitum, ubi pecuniâ gratuito mutuo datâ, res qua fructus fert, pignori data est, quia hoc ipso conventum censetur, ut fructus loco usurarum & compensationis cuiusdam liceat retinere *l. 8. ff. in quibus caus. pign. tac. contrah.*

XXI.

Commissorium pactum olim pignori adjiciebatur, quo inter debitorem & creditorem convenit, ut res pignori data pleno iure dominii creditor i acquiratur, dummodo debitor tempore dicto non solvat debitum, quod pactum ob fraudes & captiones, quæ facile intervenire possunt, prohibitum, l. fin. C. de pact. pign. facillime enim homines inopiam laborantes in hoc pactum adducuntur, quo effectum, ut debitoribus constituto tempore non solventibus, sua res admittatur, quæ communiter valore suo debitam pecuniam superat.

X X I I I.

Pactum autem hujusmodi valet, quo convenitur, ut pecuniâ die destinato non solutâ, res pignorata emta esse debeat justo pretio, vel jam ante constituto vel arbitrio boni viri constituendo *l. ult. pr. ff. de contrah. empt.* Tale quoque pactum admittitur, si debitor paciscatur se pignus creditorî cessurum, nisi intra certum tempus solvat, quo pacto efficitur, ut creditor hypothecam communi jure vendere possit. *l. i. C. de part. pign.*

XXIV.

Necessarium pignus est vel *prætorium*, vel *legale* seu *tacitum*.
Prætorium rursus vel ex *caussâ judiciati* descendit & *judiciale*
alio nomine dicitur *t.t. C. sex caussâ jud.* Vel ex *decreto Prætoris*,
& *prætorium in specie* vocatur.

X X V.

Pignus judiciale est, quod jussu Magistratus judicisve post rem judicatam constituitur in bonis debitoris sententiæ parere re-

B *cusantis*

10 DISPUTATIO JURIDICA

cusantis, ad hoc ut creditori satisfiat, quod fit capiendo pignora ex bonis debitoris.

X X V I.

Ordo autem talis in hujus pignoris captione servatur; capiuntur primo res mobiles, secundo immobiles, quæ si non sint, vel non sufficerint, nomina & actiones l. 15. §. 2. de re jud. Idem ordo in horum pignorum distractione obtinet.

X X V I I.

Pignus prætorium in specie sic dictum est, quod ex primo decreto Prætoris indulgetur ante litem contestatam creditori, vel coactionis, vel rei servandæ caussâ, cum nimis debitor præstare cautionem vel respondere recusat, quod fit per missiōnem in bona debitoris, ad hoc, ut tædio rerum suarum ab alio detentarum affectus aut respondeat, aut debito modo caveat l. 4. §. 1. ff. de damno infest. sic ob contumaciam non respondentis seu latitantis debitoris, modo a nemine defendatur, mittitur in possessionem bonorum creditor, ut in tuto sit creditum l. 12. ff. pro Empt. ob non præstitam cautionem mittuntur mulier doctis, legatarius legati, fideicommissarii fideicommissi, vicini ædium ruinosarum servandarum caussâ l. 2. pr. ff. pro herede l. 2. Cod. qui potior. in pign. l. 15. ff. de damn. inf.

X X V I I I.

Per hanc immissionem ex primo decreto creditori non tam possessio rerum, quam custodia seu nuda detentio tribuitur, simul enim hic cum debitore possidere jubetur, quare in possessione, non possessor esse dicitur. Ex secundo vero decreto verus possessor, vel rei dominus declaratur l. 15. §. 16. ff. de damn. inf.

X X I X.

Sequitur *legale seu tacitum pignus*, quod citra conventionem dispositione juris contrahitur, vel ex *præsumpta contrahentium voluntate*, vel ob *singularem debiti favorem*, vel denique ob *specialem creditorum conditionem*.

X X X.

Ex *præsumpta contrahentium voluntate* pignori obligata sunt invencta & illata in locantis prædium urbanum non secus ac si expresse

I N A U G U R A L I S . II

presse de iis cum domino convenisset l. fin. in quibus caus. pign. vel hyp. accipe autem illa tantum invecta esse pignori, quæ cā mente inducta sunt, ut perpetuo, hoc est, quam diu durat locatio, sint in domo l. 7. §. 1. ff. eod. longe aliud obtinet in inventis & illatis in prædium rusticum, quæ nisi hoc expressum sit, non pignorantur, ratio diversitatis hæc est, quod in rusticis prædiis satis cautum sit locatori, fructus enim quotannis nascuntur, qui tacite ei pro mercede obligati sunt, at in prædiis urbanis nihil nascitur, ex quo securus esse possit. Merito igitur inventa & illata locatori pignoris jure tacite obligata censemur.

X X X I.

Occurrit hic quæstio non inelegans, *an libri studiosorum in museum illati taciti pignoris loco pro mercede obligentur?* affirmant alii cum quibus & nos facimus, alii negant. Ratio affirmatio- nis in eo posita est, quod privilegia studiosorum eo non per- tinent, ut contrahens cum ipsis non sit securus per tacitam hypo- thecam ipsis legibus concessam; deinde quia si libri exciperentur à tacito pignore nihil aliud invecti vel illati superesset. Ab af- firmativâ intentiâ recedere facit nonnullos *lex 7. Cod. que res pign.* in quâ instrumenta rustica dicuntur non posse pignori capi: Ex eâ lege sic argumentantur, quod si rustica instru- menta non licet pignori capi, multo minus studiosorum, cum studiosis plurima sint concessa privilegia. Verum respondeo: instrumenta rustica ibi dicuntur non pignori capi posse, non ex eo quod sunt instrumenta, sed quatenus omnia illata in prædium rusticum à nexus pignoris taciti excepta sunt & soluta.

X X X I I.

In prædiis rusticis, fructus quotannis nati ex *præsumpta con- contrahentium voluntate* tacite pignori obligati sunt l. 7. pr. ff. in quibus caus. pign. nec distinguendum puto fructus sint naturales, an industriaes.

X X X I I I.

Legatariis & fideicommissariis in rebus testatoris tacita hypo- theca constituitur ex ejusdem *præsumpta voluntate.* l. 1. C. com. de leg.

12 DISPUTATIO JURIDICA

XXXIV.

Ob singularē debiti causē favorem datur 1. Uxori, in omnibus mariti bonis tacita hypotheca pro dote restituendā l. nn. §. 1. & 15. C. de rei ux. act. pro dotis augmento Nov. 97. cap. 2. jura autem hypothecarum pro dote restituendā initium captiunt à die promissionis, licet dos non statim, sed postea soluta fuerit l. i. ff. qui pot. in pign. sed in dotis augmentatione non à primā promissione incipit l. 19. cod. de donat. ante nupt. Non competit uxori tacita hypotheca in bonis mariti pro donatione propter nuptias. De paraphernalibus idem dicendum. In casu quo uxor tutrix liberorum prioris matrimonii ad secundas aspiraverit nuptias, non redditia ratione tutelæ, nec iis alium curaverit ordinari tutorem, bona secundi mariti seu vitrixi liberis tacitæ hypothecæ obligantur pro ratiociniis l. 6. C. in quibus caus. pign. & vere.

XXXV.

Constituitur 2. *Marito* tacita hypotheca in omnibus bonis uxorius, & illorum, qui dotem promiserunt, ad hoc, ut dos præstetur l. unic. C. de rei ux. act. Ex eādem legis dispositione in bonis uxorius, quæ marito Primipilo in dotem sunt data, tacitam hypothecam habet Fiscus, si universis mariti ac nominatorum facultatibus ex haustis, nihil supersit, ex quo fisco satisfieri possit l. 4. C. in quibus caus. pign. & vere.

XXXVI.

3. *Fisco* bona eorum, qui civium numero censentur, tacite pignori obligata sunt pro tributis & collectis l. 1. C. in quibus caus. pign.

XXXVII.

4. Denique is, qui in refectionem ædium pecuniam mutuo dedit, nanciscitur illarum tacitam hypothecam l. i. ff. in quib. caus. pign. idque singulari jure quia refectione ædium pertinet ad decus & ornamentum civitatis, qualia singularia jura plurima circa ædificia sunt introducta.

XXXVIII.

Ob specialem creditorum favorem concessa est tacita hypotheca 1. fisco in bonis eorum qui cum fisco contraxerunt l. 2. C. in

C. in quibus caus. pign. l. 6. Cod. de priv. fisc. In causa penalior hoc privilegium cessat *l. 37. de jure fisci. l. 3. ff. de pœn. fisc.* cessat etiam, si in privati locum succedat fiscus, quia privati jure utitur *l. 6. ff. de jure fisc. 2. Civitati in bonis administrantium res ejus l. 1. C. quo quisque ord. conv. lib. 11. tit. 35.*

X X X I X.

Similiter bona tutorum & curatorum ratione gestæ tutelæ & curæ pupillis & minoribus obligantur *l. 20. C. de adm. tut.* Idem est, et si tutor vel curator quis constitutus, res pupilli vel minoris non administraverit *d. l. 20. in fine.* Idem tacitam hypothecam habent in rebus eorum pecuniâ emitis *l. 7. ff. qui pot. iu pign. juncta l. 2. quando ex fact. tut.*

X L.

Hactenus egimus de pignoris constitutione, & in eâ vidimus quinam pignus constituant, quibus constituatur, quæ res in pignoris constitutionem veniant, & ultimo, quo modo pignus constituatur; quia vero evenit, rem unam pluribus obligari, quinam in jure suo persequendo potiores sint, videndum nobis est, antequam de constituti pignoris effectu differamus.

X L I.

Præferuntur omnibus omnino hypothecariis creditoribus, ratione causæ seu crediti 1. *Fiscus* in causâ Primipilari, ob debitum Primipili *l. 4. C. de Primip. lib. 12.* Potior quoque est fiscus, quo ad tributa, quia priori loco omnia civium bona fisco tacite obligata sunt *l. 1. C. si propter pensit. publ. vend. 2. qui ad militiam emendam crediderunt,* modo expressim hoc ipsum scribatur in instrumento, & in hoc fiat pactum, ut casu proveniente priores sint soli qui ad hoc crediderunt *Nou. 97. c. 4. 3. Uxor respectu dotis l. 12. C. qui pot. in pign.* quia publice interest dotes mulieribus servari *l. 1. ff. sol. matr.* ut facilius nubere possint, quod privilegium extenditur etiam ad liberos hæredes matris, non vero ad extraneos *Auth. si quid ex reb. C. qui potior. in pign.* præfertur non tantum creditoribus prioribus tacitam, sed & expressam hypothecam habentibus *d. l. 12. C. qui potior. 4. Illi, qui pecuniam in rem pignoratam rescindam vel conservandam mutuo dederunt l. 5. & 6. §. 1. 2. qui pot. in pign.* idque justa ratione,

14 DISPUTATIO JURIDICA

tione , quia per hos factum est , ut totius pignoris causa salva esset . His adiice eos , quibus merces , horreorum vel areæ vel vecturæ jumentorum debetur l. 6. §. fin. eod. 5. quorum pecunia res comparata est , modo specialis accedat conventio l. 7. C. qui pot. 6. Pupilli in re suis nummis comparata & hoc quidem favore extatis l. 7. ff. qui pot. in pign.

X L I I .

Inter creditores hypothecarios nullo speciali , privilegio gaudentes , priores posterioribus sunt potiores , ubi habet regula : *Qui prior est tempore potior est jure.* l. 2. 4. 7. 8. C. qui pot. in pign. Observata tamen distinctione inter publicum & privatum instrumentum , publicum enim privato est potius l. 11. C. eod. nisi forte probata atque integræ opinionis trium vel amplius viorum subscriptiones privato contineantur , tunc enim quasi publice consecutum accipitur d. l. 11. in fine .

X L I I I .

Priorem tempore accipimus , cui prius hypotheca nudâ conventione constituta est , etiamsi tradita non sit , hypotheca enim non traditione duntaxat , sed & nudo pacto absolvitur l. 1. ff. de pign. act. Quare cum prior creditor convenit de pignore , & idem posteriori traditum est , posteriore prior potior est . l. 12. §. fin. qui pot. in pign.. Quid si stipulationi conditionali accedat pignus , & ante conditionis eventum idem pignus secundo creditori pure obligetur ? Respondeo cum distinctione , aut conditio invito debitore impleri potest , cum vel in casum vel in potestatem creditoris collata est , aut non potest ; Priori casu conditionalis creditoris causa potior l. 9. §. 1. ff. qui pot. in pign. posteriori , secundi creditoris ratio habenda est , non prioris , quia , cum evenire potest , ut non impleatur conditio , non ante contracta pignoris obligatio intelligitur , quam conditione impleta l. 1. in fine ff. qui potior. in pign.

X L I V .

Cujuscunque generis hypothecarii sint creditores regula procedit , tacitam an expressam , judiciale an prætoriam in specie sic dictam , sive ex testamento , ejusdem an diversi generis hypothecarii .

pothecam habeant non interest *l. 2. C. qui potior, l. 4. eod. l. 3.*
C. ut in poss. leg.

X L V.

Exceptio est in prætorio in specie sic dicto, non enim huic regulæ locus est respectu creditorum, quibus hoc pignus competit, inter se consideratorum, omnium enim in possessionem ex decreto primo missorum eadem ratio, nec priores posterioribus præferuntur *l. 5. §. 3. ff. ut in poss. legat.* si vero cum alterius generis creditoribus concurrant, dicta regula obtinet.

X L V I.

Non est dubium, quin, si quis bona sua simpliciter & pure Primo pignori obligaverit, & deinde Secundo rem certam puta domum oppignoret, Primus Secundo potior sit. Quid si res certa, puta fundus Primo specialiter sit pignoratus, cum conditione generalis hypothecæ, nisi ei ex hac re sufficere possit, Secundo postea domus pignori obligata? Secundus eatenus Primo præferetur, quatenus Primo fundus specialiter obligatus sufficit ad suum creditum consequendum, si non sufficit, Primi causa potior habenda est. *l. 2. C. de pign. & hypoth.*

X L V I I.

Chirographarii creditores omnes æquali jure utuntur nec prælatio inter illos obtinet (Excipe Rempublicam creditricem quæ omnibus chirographariis creditoribus præfertur *l. 8. §. 1. de reb. aut. jud.*) & si bona debitoris non sufficient ea pro rata cujusque debiti dividuntur *l. 32. d. t.* & si unus in possessionem bonorum missus sit, aliis hoc proderit *l. 12. ff. eod.* Prælationem autem quis consequi poterit, antequam bonorum possessio concessa, qui prius debitorem suum excusserit, vigilabut enim *jura civilia scripta sunt l. 24. in fine eod.*

X L V I I I.

Quid juris sit in creditoribus hypothecariis, cum una res pluribus separatim & diversis temporibus pignorata sit, examinavimus; verum si contingat eodem tempore eandem rem pluribus obligari, distingui oportet, utrum pactum intervenerit, nec ne; & si pactum intervenerit, utrum in solidum pluribus sit obligata an secundum partes. Si convenerit ut in solidum sit obli-

16 DISPUTATIO JURIDICA

obligata, unusquisque creditorum in solidum contra debitorem & quemvis extraneum possessorem habet actionem hypothecariam *l. 10. ff. de pign.* Inter ipsos autem creditores possidentis melior erit conditio *l. 128. ff. de R. f. d. l. 10.* si vero convenerit, ut secundum partes res pignori sic nexa, cuilibet competit utilis hypothecaria adversus extraneos & inter se, si eorum quis possideat, ad hoc, ut suam quisque possessionis partem habeat *l. 1. §. 1. de salv. interd.* Quod si nihil convenit, pro modo debiti actio competit, si inter creditores oriatur quæstio, si vero creditores adversus extraneum vel debitorem agant magis est in solidum eos agere posse *l. 16. §. penult. D. de pign.*

XLIX.

Creditor hypothecarius posterior in prioris jus succedere ipsiusne pignus sibi confirmare dicitur, quoties nomine debitoris pecuniam unà cum usuris solverit priori creditori *l. 22. C. pign.* vel eo, cum offertur non recipiente, obsignatam depofuerit *l. ult. C. de his qui in prior. Cred. loc.* five ignorantia, five invito, five volente debitore hoc fiat nihil interest *l. 12. §. 6. ff. qui potior. in pign.* Qui itaque in prioris locum hoc modo succedit, consequitur idem jus prioritatis, quod prior habuit, non quidem suo jure, sed prioris beneficio, in cuius locum succedit. Quo jure etiam gaudebit tertius, qui debitori pecuniam credidit ad hoc, ut primo creditori solvat, cum pacto succendi in locum primi, licet inter secundum & debitorem pactum intervenerit, ut si res primo obligata esse desicerit, secundo pignori esset *l. 12. §. 8. ff. qui pot. in pign.*

L.

Chirographarius creditor non prius in se transferet jus prioris, nisi nominatum id actum fuerit inter ipsum & priorem creditorem vel debitorem *l. 1. C. de his qui in prior. cred. loc.* vel eo tempore hoc per judicem obtinuerit *l. 11. C. de fideij.* si vero de jure pignoris non fuerit pactus chirographarius non habebit jus pignoris, sed personalia juris prioris creditoris consequitur, unde ipsi datur actio Pauliana, quæ competit, cum debitor fraudulenter res alienaverit *l. 10. §. 1. ff. de his qui in frand. cred.*

LI.

L I.

Effectus constituti pignoris primus est, illius *Persecutio*. Duæ autem in hanc rem traduntur actiones, quarum prima est *Actio Serviana* (à Prætore Servio sic dicta) realis, quæ dominus fundi experitur de rebus coloni, quæ pignoris jure pro mercedibus fundi tenentur. §. 7. *Inst. de act.* Altera, quasi *Serviana* quæ & utilis *Serviana* vocatur, quibuslibet creditoribus datur adversus pignorum sibi obligatorum possessores, ad hoc, ut res pignori obligata sibi tradatur §. 7. *Inst. de act.* hac actione datur creditoribus persecutio in rem l. 8. *C. de pign.* non enim nascitur ex obligatione, sed ex jure pignoris, quod jus in rem acquisitum est creditoribus simul ac paci sunt de re sibi pignori dandâ. Creditor etiam poterit debitorem vel fideiussores personali actione convenire ad debiti persequutionem, vel si mavult hypothecariâ ad pignus constitutum l. 8. *C. de pign.* adversus extraneos possessores, utrâ velit, experiri integrum ipsi est l. 14. & 24. *C. de pign.* & quidem ante excussum principalem. Idque jure Codicis obtinet; sed jure Novellarum distinguendum est, utrum debitor ejusve haeres pignus possideat, quo casu jus electionis salvum creditorî manebit; an vero extraneus, quo casu creditor prius contra debitorem ejusque intercessores personali actione experiri debet: quod si solvendo non sint, hypothecariâ extraneum convenire potest *Anth. hoc si debtor. Cod. de pign.* Exceptio est, cum debitor hypothecariâ actione à creditore conventus, rem pignoratam in extraneum alienavit, potest creditor reliquo debitore, extraneum, utrâ velit, actione convenire *Anth. hoc ita C. de pign.*

L I I.

Ad rem pignoratam actione hypothecariâ persequendam necessarium est rem in bonis debitoris fuisse tempore obligationis contractæ l. 15. §. 1. *ff. de pign.* creditoris autem utpote actoris est probare tunc temporis rem in bonis debitoris fuisse. Atque hoc obtinet, si agatur contra extraneum; sed si contra ipsum debitorem actio instituatur, probabit creditor inter se & debitorem de pignore convenisse, & rem contracti pignoris tempore in bonis debitoris fuisse. l. 23. *ff. de proba.*

L III.

Actioni hypothecariæ præscribitur quadraginta annis si debitor hæresve ejus possideat *l. 7. §. 1. ff. de pref. 30. vel. 40. ann.* si extraneus & quidem bonæ fidei possessor, longo tempore *l. 1. & 2. C. si adv. cred. præscript.* malæ vero fidei possesso posseidente 30 annis *l. 7. Cod. de præscript. 30. vel. 40. annor.*

L IV.

Nemo autem possessionem pignoris propriâ auctoritate, id est, non requisitâ magistratus aut judicis auctoritate occupare potest, etiam si hac de re pactum conventum intervenerit. Hic tamen distinguendum puto, an debitor non resistens patiatur creditorem occupare possessionem, an non patiatur; primo casu vi pacti recte ingreditur possessionem, nec legis poenam neretur, ipse enim debitor possessionem rei tradere videtur *l. 33. ff. quod metus causâ.* Secundo casu non licet apprehendere: nullâ enim patitione iniri potest, ut alicui resistenti, pignus vi eripiatur *l. ult. ad L. Jul. de vi privatâ.* Nihil facit, quod non videatur vis inferri illi, qui ab initio voluit, sufficit enim voluntatem postea mutatam esse.

L V.

Secundus constituti pignoris effectus in *jure retinendi pignoris* versatur, quod in creditore possidente rem pignoratam locum habet *l. 1. pr. ff. de pign.* competit id primo quidem pro ipso debito, cuius caussâ pignus constitutum, deinde etiam pro alio debito, quod ab eodem debitore eidem creditori sine pignore debetur. *l. un. C.* Etiam ob chirogr. pecun. pro impensis in rem pignoratam factis. *l. 6. C. de pign.*, si quæ restent usuræ solvendæ, retentio quoque conceditur *l. 4. C. de usur.*

L VI.

Tertius constituti pignoris effectus est *jus distrahendi*; Cum creditor frustra solutionem à debitore exspectavit, concessa est illi potestas distrahendi, ut ex distracti pignoris pretio debitum consequatur *l. 7. §. 1. de reb. cor. qui sub. int.* aliter autem distractio pignoris conventionalis & legalis, aliter judicialis procedit.

L V I I .

In distractione conventionalis pignoris, si de tempore distractionis convenerit, dictum tempus observandum est, pacta enim cumventa, que neque contra leges, neque dolo malo inita sunt, omnimodo observanda sunt. l. 29. C. de transact. Cæterum pignoris conventionalis & legalis, quoad distractionem eadem ratio. Creditor in distractione horum pignorum facultatem habet utendi jure suo, hoc est, potest ipse extra judicium & absque auctoritate magistratus distrahere, vel si mavult publice & auctoritate magistratus judicisve rem distrahadam curare. Hoc posteriori casu inter conventionale, legale & judiciale nulla est differentia.

L V I I I .

Extrajudicialiter, antequam distractio fiat, denuntiandum id est debitori & quidem adhibitis testibus si fieri possit l. 4. C. de distr. pign. post denunciationem biennium exspectabit creditor. l. 3. §. 1. & 2. C. de jure dom. impetr. Si pactum conventum sit, ne res pignorata vendatur, tria denunciatrone ei opus erit, quarum singulis tantum intervallum tribuitur, quantum æquum videbitur l. 4. ff. de pign. act. post quas denuntiationes biennium præterlabi finet, quo elapsa rem publice vendet l. 3. §. 1. & 2. C. de jure dom. impetr. Observandum porro est in hac distractione creditori, primo ut omnia bona fide & solenniter gerat l. 9. C. de distr. pign. bonâ fide, ut absit dulus omnisque collusio, solenniter venditio sit, cum observantur illa quæ in vendendis pignoribus requiruntur, qualia sunt, ut res proscribatur, id est publicè venditio indicetur, ut venditio fiat ab ipso creditore, nec ille directe seu indirecte, alteri scil. suo nomine emptionem mandando, emptor existat l. 10. C. de distract. simul enim ejusdem rei tempore quis emptor & vendor existere nequit. Ut constituto simul generali & speciali pignore, speciale prius distrahat d. l. 9. C. de distr. pign. Quod si nullo jure, puta, ante moram, vel diem pacto distractioni destinatum, creditor pignus distraxerit, omnino non valet venditio, poteritque debitor rei vindicatione petere rem venditam à quocunque possessore l. 7. C. si vend. pign. aq., nisi cum usus

20 DISPUTATIO JURIDICA

capta fuerit, quo casu à creditore premium pignoratitia actione petendum est *d.l. 2. infine C. eod.* Si vero malâ fide & non observatis solennibus hypotheca distracta fuerit, adversus credito-rem dabitur actio pignoratitia in id quod interest *l. 4. & 7. C. de distract. pign.* quod si ex bonis creditoris condemnati solvi pecunia non potuerit, & constiterit emptorem cum creditore frau-dem participasse, oblatâ ei pecuniâ cum usuris, quanti fundus venit, restituere rem venditam cum omni causâ compellendus est *l. C. si vend. pign.*

L I X.

Publice vel per Judicem si conventionalis vel legalis pignoris distractio celebretur, idem, ut supra monui, obtinet, quod in judiciali; quippe debitori condemnato quadrimestre spatum solutioni faciendæ relinquitur *l. 3. §. 1. C. de usur. rei. jud.* quo tempore elapsò & cessante in solutione debitore, pignorum cap-tio procedit, post quam duo menses conceduntur, quibus non dum sequuta solutione, elapsis, per judicem publica licitatione venditur, & plus offerenti addicitur; In hac venditione inter cæteros etiam ipse creditor admittitur, illoque plus offerente reliquis præfertur.

L X.

Pignoris legitime distracti effectus est avocatio dominii à debitore, ejusque in emptorem per traditionem translatio, quod absolute & irrevocabiliter procedit in venditione extraneo facta, adeo quidem, ut à debitore offerente debitum lui non possit, alia ratio est in venditione alii creditoris facta, *l. 6. ff. de distr. pign.* ratio differentiæ est, quod in venditione extraneo facta per traditionem dominium translatum sit, quod invito nemini adi-mendum est. In venditione alii creditoris facta, non dominium, sed jus pignoris transeat, quare illi oblatio fieri poterit. *l. 5. §. 1. & l. 6. ff. de distr. pign.*

L XI.

Re pignorata venum proposita, & emptorem non inveniente, debitori hoc denunciandum est, eique biennum conceditur, quo pignus luere possit, intra quod si non luat, à Principe jusdo-minii impetrabit creditor, quo impetrato, intra biennium adhuc poter-

poterit redimere offerendo debitum cum usuris, litis impensis & omni causa*l. 3. §. 3. C. de jure dom. impetr.*

L X I I.

Dispiciendum ultimo est, quibus modis pignoris jus solvatur & Primo quidem solvitur pignus *naturali debiri solutione l. 9. §. 3. ff. de pign. act. sublatā enim causa principali, necesse est, quod accessionis vice fungitur, quoque tolli. Secundo solutione fictā, uti compensatione, jurejurando se non debere, re judicatā, cum debitor judicio absolutus est, acceptilatione l. 13. ff. quibus mod. pign. l. 5. ff. eod. Tertio Interitu rei pignoratae l. 8. ff. eod. Quarto remissione pignoris expressā, per pactum ne res pignori hypothecāe sit. l. 8. §. 1. ff. eod. vel tacitā, cum pignus redditur l. 3. ff. de pact. vel creditor patitur pignus alienari l. 2. C. de remiss. pign. patientiam autem accipe talem, cum creditor quid fecit, ex quo manifeste renuntiandi voluntas colligi potest l. 8. §. 15. ff. quibus mod. pign. Item si fisco hypothecam distrahente siluerit creditor, tacite remisisse intelligitur l. 8. C. de remiss. pign., aut si eo tempore, quo pignus distrahebatur, programmate admoniti creditores, non comparuerint, idem dicendum videtur l. 6. C. eod. Quinto denique ratione modi, existentia scilicet conditionis vel diei conventioni pignoris adiecta l. 6. pr. ff. quibus mod. pign. l. 13. eod.*

F I N I S.



QUID. QUÆRIS.
OPPUGNANTUM. MANUS.
VERITATIS. NON. FERITATE. VICTA.
QUAM. MANUS. DEDISSET.
TOGATUS. MILES.
LAUREA. REDIMITUS. CORONA.
VICTOR. AC. TRIUMPHATOR.
DISCESSIT.
ACCLAMANTIBUS. MUSIS. PARITER. EARUM. QUE. ALUMNIS.

IO. PÆAN. IO. TRIUMPHE.

MACTE. VIRTUTE. ESTO.

ET.

QUAM. ARTE. QUÆRIS. QUÆRESVE.

FAMAM.

F A M A R S I.

INVENIES. IN. SEPULCHRO.

*Ita Nobilissimo & Doctissimo D. Candidato,
amico suo singulari auguratur*

JO. FR. CRAMERUS.